

Haec quidem adhuc extare, nec prorsus periisse certum habeo. Neque enim tam brevi tempore in cineres favillasque abiisse putandum est. Spero enim aliquem exoriturum, qui meliore fortuna et haec quoque detaget, ac recuperabit, qui si et alia ad hanc historiam perficiendam documenta conquirere, nec laboribus, ac sumptibus parcere vellet, plura adhuc e tenebris educenda ipsi superessent, in quibus ille operam, diligentiamque suam non sine magna spe laudis probare posset. Excutienda ipsi essent tabularia, quae in castro s. Angeli asservantur, ubi summorum Pontificum epistolica regesta a saeculo XI., usque ad extrema tempora reconduntur. Quae vero, et quam amplae notiones de rebus ad Episcopos, Marchiones, Abbates, Monasteria, et Ecclesias spectantibus non in publicam lucem venirent? Hujus rei testem dabo non sine honoris significatione mihi semper commemorandum C. V. Chennam, qui quinto ab hinc anno notam quamdam nonnullarum Epistolarum SS. Pontificum, quarum mentio in regestorum indicibus habebatur, ad me transmisit. Quoniam vero illarum exemplaria obtinere mihi datum non fuit, eaque nota multarum rerum de Aquen. Episcopis notitiam prodit, quas frustra ab Ughello requiras, visum proinde est ipsis eam verbis, quibus Roma festinanter conscripta ad ipsum fuit transmissa, hic quoque adscribere (\*).

Non solum autem haec, sed alia fortasse plura, eaque ampliora in ejus almae urbis tabulariis, ac bibliothecis invenirentur, si quemadmodum Galliarum Rex antiquitatis peritissimos viros Romam misit, ut quidquid ad regnum, ad Ecclesiam Gallicanam pertinere posset conquirent, et ad Regiam Parisiensem bibliothecam inferrent; ita quoque Regi nostro, quo nemo ad bonas literas fovendas, et propagandas propensior natus, placitum foret, ut aliquis in ea civitate, quae ad Pedemontanam historiam illustrandam, perficiendamque apta inveniret, exscribenda curaret; spes esset tunc non solum peculiarem alicujus provinciae historiam, sed et totius ditionis, ac ipsorummet Sabaudorum Principum origines, ac praeclare gesta in optima luce fore collocanda. Quod si quis aliam adjungeret in finitimis Galliae, ac Italiae civitatum tabulariis, in quae praeteritis saeculis immensa chartarum farrago ex hisce regionibus fuit illata inquisitionem, quanta eruditorum conspectui se offerret pulcherrimarum, atque utilium rerum cognitio?

At quo me patriae amor agit, atque rapit? Satis puto superque patriae historiae consultum foret, si qui ampla possident tabularia liberam facerent doctis, prudentibusque scriptoribus eis fruendi, utendique facultatem. Interim nunquam satis laudandum puto cujusdam in hac civitate nobilium, ac literatorum Virorum societatis institutum, quo sibi proposuerunt non solum quidquid bonarum literarum, et elegantioris doctrinae est diligenter colere;

(\*) Gregorio IX. anno XII. concede al Vescovo d'Aqui la facultà di rinunciare per esser Vecchio. Lo stesso scrive Episcopo Terdonensi X. cal. jan. anno XI. Jacobo electo Aquen. II. non. jan. an XIV. Abbati Apostolorum, & n. de Castagnol. & Manfredo de Conzan Canonicis Asten. sotto lo stesso giorno; e tutte tre riguardano Enrico del Caretto, che pretendeva al Vescovato. Lo stesso Gregorio anno XIV. concede al Vescovo d'Aqui la facultà di ritenere i beneficj, che aveva per esser povero (de hoc Chenna pag. 28. del Vescovato) Innocenzo IV. nel 1251. commenda il Vescovato d'Aqui ad Alberto de Encisa Capellano Apostolico. Clemente VI. conferisce il Vescovato d'Aqui a Guidone d'Ancisa Decano Gebenense Capellano Apostolico, vacato per la morte d'Oddone nel 1342. Gregorio XI. Jacobino electo Aquen. V. id. maii anno III. Lo stesso Francisco electo Aquen. II. cal. decemb. anno III. Clemente VII. Conrado electo Aquen. XVI. cal. octob. anno II, e debbono essere le bolle della sua provvista del Vescovato, mentre era nell'età d'anni 27. Lo stesso Conrado Malaspina Ord. Fratrum Min. Professori IV. id. septemb. anno II. Nel 1403. trovasi un Vescovo d'Aqui Roberto, ed anche Bonifacio de Corgnato successore del B. Enrico.